

extinctâ sic causâ, nempe densitatis ac tensionis varietate, effectum etiam habere eundem non amplius possunt: Quemadmodum etiam in vermiculis, si pars una solum aut altera per novam ignescentiam exuerit pristinam tensionem, reliquæ quidem occasione datâ pro solito dissilire, sed eundem discussionis impetum per tractum illum ignitum ac tensione violentâ exutum, ad insequentes adhuc tensas portiones transmittere non valet.

& 12.

CONCLUSIO XII. Ex ambientis plumbi fusi crusta verò quòd similis tensionis præcedanæ relaxatio sequuta non fuerit, id in causa erat procul dubio, quòd calor jam remittens, & paulò post extinguendus, externum guttæ ambitum solum & partes proximas condensatiores effecerit, ad interiores ac tensas magis autem efficaciter penetrare non valuerit: Unde laxatis licet illis aliquantum, his tamen in statu tensionis ut antè manentibus, necessum fuit rup. â more solito caudâ, solitum etiam consequi effectum, ex ratione CONCLUS. VI. demonstrata. Id quod ex eo porrò confirmatur, quòd in hoc casu geminâ vice guttas illæfas & integras reperit intra capsulam suam plumbeam, *Dn. Redi*, tametsi rostrum prominens abruptum consueto modo fuisset: nimirum, ut ipse quoque suspicatur, quia plumbum fuerat adhuc justo calidius cùm illæ mergerentur, atque adeò vis caloris interiorem etiam partium tensionem mutaverat.

Causa 13.
Phæn.

CONCLUSIO XIII. Quibus rectè intellectis, difficile nunc haut erit rationem reddere Experimenti 20. & 21. ex Observat. *Dn. Redi* superiùs allegati, præsertim si ad eas circumstantias simul attendatur, quarum alteram Vir laudatissimus in Experim. 22. annotavit; versando sc. guttam valdè violenter super lapidem, sic eam incaluisse, ut contactæ subito hominis manui adustionis signum impresserit; alteram *Dn. Montanarius* p. 64. suggestit, quòd, quò violentior lachrymarum attritio fuerit, eò faciliùs eam sustineant & integritatem suam certiùs ad finem usque conservent; ex opposito